

n. 12, quamvis Diana, *Coordinat.* tom. II, tract. 1, resolut. 96, n. 4, dicat, quod cardinalis, qui in sacello Pontificio celebrat missam Nativitatis ante mediam noctem, non potest postea mane celebrare alias duas missas.

(49. Cardinalis, vel alius celebraturus primam missam Natalis ante mediam noctem, potest mane celebrare missam consuetam vigiliæ: Quarti, *loc. cit.*, difficult. 2, dicens sic communiter sentire doctores supracitados; et id supponunt Merati, et Gavanti, *loc. cit.*, dicendo: « Neque in missa vigiliæ sumant purificationem. » Et ratio est quia, quamvis prædicta hora pertineat physice ad diem vigiliæ, moraliter tamen, quantum ad anticipatam celebrationem hujus missæ, pertinere videtur ad diem Natalis, cum vere dicatur pro solemnitate Natalis; et sic licite potest prædictus cardinalis, vel alius sacerdos similiter privilegiatus mane celebrare missam consuetam vigiliæ, et postea primam missam diei Natalis ante mediam noctem ejusdem, quamvis censeatur bis celebrare in eadem physice die; quia Summus Pontifex concedendo alicui anticipationem primæ missæ Natalis, non tollit ipsi facultatem de jure communi omnibus concessam celebrandi horis consuetis missam vigiliæ; alias privilegiatus esset deterioris conditionis non privilegiatis, contra dispositionem cit. cap. *Quod ob. grat.* 61, De regul. juris, in 6.

(50. Celebrans anticipate illam primam missam Natalis potest sumere purificationem, vel etiam postea Cœnam ante mediam noctem, et die sequenti, nempe in die Natalis celebrare secundam, et tertiam missam. Sic cum Pasqualigo, Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, in fine; Gavanti et Merati, *loc. cit.*, dicentes, quod favet communis doctrina theologorum. Et ratio est quia, cum illa hora vere physice pertineat ad diem vigiliæ, sumens purificationem in ipsa anticipata missa, et postea Cœnam ante mediam noctem, vere erit jejunus pro celebratione aliarum duarum missarum in die Natalis, quod est contra opinionem cardinalis de Lugo, *loc. cit.*, existimantis juxta sua principia, illam horam pertinere ad anticipatam per Summum Pontificem diem Natalis.

(51. Tam celebrans, quam audientes dictam anticipatam missam, satisfaciunt præcepto dicendi, vel audiendi missam, pro die Natalis. Ita Diana, *Coordinat.* tom. II, tract. 3, resolut. 11 et 12; Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, difficult. 3, cum Dicastillo, Aversa, et aliis supracitatis contra Pasqualigum. Et ratio est, quia eo ipso, quo Summus Pontifex dispensat, ut missa Nativitatis anticipate celebretur, dispensat etiam, ut ipsam celebrans et audientes anticipate satisfaciunt obligationi. Nam dispositum in uno correlativo censetur et dispositum in alio. Unde in *Thesauri resol. sacræ congregationis Concil.*, tom. I, sub die 13 Julii 1720 in una *Veneta* in fine, expresse dicitur quod in ipsa civitate Venetiarum nocte Nativitatis Domini ante mediam noctem missa celebratur a primicerio in templo S. Marci; et senatus Venetus, alique, qui missam dicta hora audiunt,

satisfaciunt præcepto audiendi missam die Nativitatis Domini. Et quod hoc ipsum sit in eadem civitate, et in ecclesiis S. Joannis, et S. Jacobi in Rivoalto, necnon in ecclesia canonicorum Lateranensium, et in ecclesia Patrum, qui nuncupatur *Frari*, necnon in ecclesia Monialium S. Zachariæ: et simile privilegium fuit novissime concessum anno 1743 a Summo Pontifice Benedicto XIV pro Ecclesia nostri ejus civitatis conventus vulgo nuncupati *La Vigna*; quamvis an. 1720, 13 Jul., fuerit ecclesiæ collegiatae S. Pauli ipsiusmet civitatis denegata a sacra congregatione Concilii reassumptio intermissi consimilis privilegii sibi concessi a Pio IV. et S. Pius V, constit. 4 incip. *Sanctissimus*, revocaverit omnia hujusmodi privilegia, et prohibuerit prælatis et capitulis ac quibuscunque ecclesiarum superioribus in virtute sanctæ obedientiæ, et imposita pena perpetuæ suspensionis a divinis: « Ne deinceps missas vespertino tempore hujusmodi licentiarum et facultatum, aut alio quovis prætextu celebrare, vel celebrari facere præsumant: » addita derogatione quibuscunque constitutionibus et ordinationibus apostolicis, consuetudinibus et privilegiis, etiam munitis derogatoriis derogatoriis, et aliis quibuscunque clausulis, etiamsi privilegia concessa fuissent intuitu imperatoris, regum, reginarum, ducum et aliorum principum, ut latius in ipsa allegata constitutione, et ut patet in supra cit. *Veneta*, impressa in *Thesauri resolutionum sacræ congregationis Concil.*, tom. I, sub die 13 Julii 1720, quæ Resolutiones prostant Romæ apud Barbiellini ad *Minervam*.

(52. Vigilia Nativitatis occurrente in Dominica, non potest quis nolle audire missam mane Dominicæ, et expectare, ad satisfaciendum præcepto missam, illam anticipatam ante mediam noctem: Quarti, *loc. cit.*, dub. 7, difficult. 4, cum Diana et aliis ab ipso citatis, alique passim. Et ratio est quia illa anticipata missa nullo modo computari potest pro ipsa Dominica, sed solum pro sequenti festo Natalis. Quamvis enim non dicatur in die Natalis, nihilominus vere dicitur pro solemnitate Natalis, et, ut dictum est numero antecedenti, ipsam celebrans et audientes satisfaciunt præcepto dicendi, vel audiendi missam in die Natalis; unde cum ipsa inserviat pro satisfaciendo præcepto diei Natalis, non potest servire pro satisfaciendo præcepto Dominicæ præcedentis; quia unico sacro non potest satisfieri duobus præceptis duarum distinctarum festivitatum; sicuti unico officio non potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis et crastino: et merito damnata inter alias propositione 35 ab Alexandro VII die 18 Martii 1666, ibi: « Unico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsentis et crastino. »

(53. Quoad missæ celebrationem fieri solitam ante noctis dimidium in pervigilio Nativitatis Domini in capella pontificia, sive in aliis ecclesiis ex privilegio præter ea, quæ hucusque adduximus, Maximus Pon-

tifex Benedictus XIV, *De synodo diœcesana*, lib. vi, cap. 8, per tot., permulta ad rem eruditissime suo more adducit, et quoad horam ipsam celebrandi, hæc n. 14, habet: « Ex diariis, quæ Pontificii cæremoniarum magistri ab anno 1474 ad annum 1517 digesserunt, colligimus, matutinum in Pontificia capella incœpisse circa octavam, nonam, ac etiam decimam horam (ab occasu solis numerando, juxta Italiæ morem) illius noctis, quæ diem Christi Natalem præcedit; ac præterea sacrum hunc ritum, una cum solemnibus missa, non nisi quatuor horarum spatio expleri consuevisse. Leo X, referente in *Diariis Paride de Grassis*, anno 1517, ob adversæ valetudinis incommoda, Pontificiæ capellæ initium statuit *hora quinta noctis*. Pontifex Hadrianus VI, veterum morem secutus, horam noctis nonam restituit. At Clemens VII, Paulus III, ac Julius item III, circa secundam aut tertiam noctis horam matutinum inchoandum mandarunt: hinc hora septima noctis, ipsi etiam solemniori missæ finis imponebatur. Varius in hoc tempore designando fuit S. Pontifex Pius V quandoquidem, eo jubente, anno 1566 matutino initium dedit hora noctis sexta, anno 1567, hora quarta; anno 1568, hora quinta; anno 1569, hora octava cum dimidio; anno demum 1570, hora nona. Gregorius XIII, juxta veterem morem, tertiam, aut quartam noctis horam in usum revocavit. Atque hic demum mos in Pontificia capella deinde servatus fuit, et adhuc viget, statuta pro matutini initio quarta hora noctis, ex quo sequitur ut solemnibus missa paulo ante noctis dimidium perficiatur. »

(54. Deinde idem Pontifex, *ibidem*, n. 5, a designatione temporis, et horæ pro ipsa missa celebranda, ad jejunium progreditur, referens ex relatione magistrorum cæremoniarum in diariis, cardinalem, qui sacrum obtulit, nonnunquam ad celebrandam missam accessisse jejunum, ut nostra ætate constat de cardinali Leandro Colloredo, et de Benedicto Papa XIII, qui eadem jejunii lege sese obstrinxit; quia vero non multa occurrunt eorum exempla, qui jejuni accesserint ad altare; contra vero frequentius contingat, ut cardinalis, qui nocte Nativitatis sacrum explet, die præcedenti a refectioe non abstinuerit, pergat ad tradendam rationem, quæ id licere suadeat; et sub n. 16, relatis variis auctorum opinionibus, jam a nobis *loco supracit.* adductis « sunt, dicit, qui credant Romanum Pontificem quotannis litteras in forma brevis expedire, per quas cardinalis nocte Nativitatis celebraturus, eximatur a lege jejunii, quod alioquin a præcedentis noctis dimidio servare teneretur. Id tamen, subjungit, *ibidem* gratis asseritur, et hujusmodi litteræ reipsa minime conceduntur. » Et sub num. 17 ita superaddit: « Hinc meliori consilio alii sentiunt ac docent, in proposito casu, licet expressa Pontificis dispensatio non appareat, inesse tamen tacitam ac rationi admodum consonam. Enimvero, cum, nonnisi præhabito Summi Pontificis assensu, statuta ad ma-

tutinum inchoandum hora definiatur, profecto Summus Pontifex haud ignorat quo tempore in pervigilio Nativitatis capella incipiat, qua hora solemnibus missa, cui nonnunquam ipsemet Pontifex interesse solet, celebretur. Et quoniam præterea comperit persæpe illi est, eum qui sacrum offert, non esse jejunum, et tamen nullus unquam Pontifex edixisse fertur, ut cardinalis ea occasione ante noctis dimidium celebrans, a præcedenti media nocte jejunium servaret, nihil ultra requirendum videtur ad tacitam Pontificis dispensationem inducendam, æquitatis tamen ac rationis legibus consentaneam. »

(55. « Ex hactenus dictis (prosequitur idem Pontifex *ibid.*, n. 20) colligitur, privilegium celebrandi missam in Pontificia capella ante noctis dimidium, non quidem per necessariam connexionem secum ferre aliud privilegium exemptionis a lege jejunii; imo posterius hocce privilegium esse repetendum a tacita Pontificis dispensatione, quam satis probant eæ rerum ac temporis circumstantiæ simul sumptæ, quas supra memoravimus. Hinc sequitur, sublatis hisce circumstantiis, jam nullum tacitæ dispensationi esse locum, ideoque ad jejunium naturale servandum teneri, qui alibi sacrum offerat, etiamsi ex Apostolico indulto, mediæ noctis articulum in missæ oblatione præveniat. Consulendi in rem hanc Andreas Cataldo in *Præx. cæremon.*, l. III, sect. 2, cap. 1, num. 4, pag. 391, et cap. 3, num. 1, pag. 393, nec non celebris Gavanti, part. IV, tit. 2, n. 5, ubi ita loquitur: « Celebraturus ante mediam noctem ex privilegio, « vel consuetudine legitima, vero non dispensatur in jejunio necessario ad missam; « ideo a pridiana media nocte jejundet, neque « in missa vigiliæ sumat purificationem. » Consonat diligens scriptor P. Merati tom. I, part. I Romanæ editionis, pag. 833, n. 12. »

(56. « Itaque (concludit *ibid.*, n. 21) ut rem hanc expediamus, episcoporum partes erunt, duo hæc in synodis opportune discernere, ut scilicet primo edicant, nulli fas esse, citra apostolicam dispensationem, in nocte Nativitatis Christi missam celebrare ante noctis dimidium, et id quidem fieri prohibeant, indicta in contumaces pœna suspensionis, quam etiam probant et laudant Polacus in suis *Aphorismis sacrar. cæremoniar.*, aphorism. 1, num. 4; Pax Jordan., *Elucubrat.*, tom. I, l. IV, tit. 1, *De sacrific. missæ*, n. 93. Secundo, aperte declarent eos qui, ex Apostolico privilegio, sacrum obeunt ante noctis dimidium, adhuc teneri lege jejunii, idque a præcedentis noctis dimidio servandum esse. In ordine quodam pro divini officii celebratione, Romæ edito anno 1645, ejus etiam meminit Diana in editione *coordinat.*, tom. III, tract. 1, resolut. 55, n. 3, hæc legimus: « Missa hujus « sacratissimæ noctis debet celebrari post mediam noctem, aliter sacerdos non celebraret « jejunus. Celebraturus ante mediam noctem « ex privilegio, vel legitima consuetudine, « non dispensatur in jejunio necessario ad



« missam, id est a pridiana nocte jejundet, neque in missa vigiliæ sumat purificationem. » Eadem occurrunt in Ordinario patriarchali, quod anno quolibet Venetiis evulgatur, ubi ad diem 24 Decemb. hæc legitur adnotatio: « Celebrantes ante mediam noctem sint jejuni a media nocte antecedenti, ideoque non sumant purificationem in missa hodierna. » Hactenus idem Pontifex *loc. cit.*

(57. Missas tres in Nativitate Domini, Armenis, et universim sacerdotibus Orientalibus celebrare non licet. Idem, constit. incip. *In superiori*, § 2 et seq.

(58. Missarum celebratio una hora ante auroram, et post meridiem indulgetur militibus S. Januarii. Benedictus XIV, constit. incip. *Romanæ Ecclesiæ*.

(59. Idipsum conceditur et equitibus S. Joannis Hierosolymitani. Idem, const. incip. *Quoniam*, § 1.

(60. Missarum trium celebratio die Natali Salvatoris nostri primum a S. Telesphoro instituta fuit. Idem constit. incip. *Declarasti*, et constit. incip. *Quod expensis*. (61. Quæ consuetudo asseritur et commendatur. Idem *ibidem*. (62. Antiquis temporibus alii per annum dies erant polylyurgici, quibus missarum sacrificia iterare licebat, nempe præter Natalem Domini, prima dies Januarii, feria v in Cœna Domini, vigilia Ascensionis, tres dies jejunii infra octavam Pentecostes, aliique dies festi nonnullorum sanctorum memoriæ dicati, ut Nativitas S. Joannis Baptistæ, et Natalitium sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Idem in cit. constit. *Quod expensis*.

(63. Sæpe etiam iterabantur sacrificia, si defuncti cadaver die Dominico, vel alio festo ad Ecclesiam deferretur. Idem, *ibid.* (64. Ea consuetudo justis de causis abolita est, et præsertim ob inductos abusus circa elemosynarum sordidas exactiones. Idem *ibid.*

(65. Nec præsentem tempore præter dictam diem, permittitur missæ iteratio, etiam ex causa utilit. aut paupert. Eccles. aut presb. Idem, constit. 3, incip. *Declarasti*. (66. Id solum permittitur parochis duarum ecclesiarum adeo inter se distantium, ut populus utrique subjectus, in unam earum totus convenire nequeat. Idem, *ibid.* (67. Quod intelligendum est de diebus festis tantummodo, in quibus adest præceptum audiendi missam. Idem, *ibid.* (68. Et dummodo necessaria ad id ordinarii superioris licentia accedat. Idem, *ibid.* Et sufficit contrarium synodalis constitutionis præceptum, ut parochus id minime liceat. Idem, *ibid.*

(69. Præterea, si alius adsit sacerdos, qui in una ex illis ecclesiis celebrare possit, parochus debet ab iteratione missæ se abstinere. Idem, *ibid.* (70. Etiam si necesse sit catechismum populo explanare, cum id, vel per alium sacerdotem, vel ab ipso parochio extra missarum solemniam fieri possit. Idem, *ibid.*

## ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(71. De modico tempore, intra quod onera missarum ex decreto S. congregationis Ri-

tuum a S. M. Urbano VIII approbato, de quo auctor n. 37 sunt implenda, non inutile est hic disserere.

(72. Sunt autem qui tenent modicum hoc tempus extendi ad tres annos. Vide Peirin *De privileg.*, t. III, ad constit. 9 Urbani VIII, ad 10.

(73. Alii sentiunt hoc modicum tempus concludi intra tres menses: Leander, *De sacram.*, tract. 8, disput. 4, quæst. 18, Tamburin., *De sacrif. miss.* lib. III, cap. 1, § 9, num. 4.

(74. Brevius alii volunt hoc modicum tempus, illudque ad duos menses restringunt; Marchin., *De ordin.*, tr. 3, part. II, cap. 31, num. 3; Quart., in *Rubric. missal.*, in *Appendic.*, quæst. 4, punct. 1, difficult. 2.

(75. Ut, quod sentio, dicam, si tempus sit determinatum, haud potest differri celebratio ultra illud. Determinatio autem temporis aliquando provenit expressa voluntate dantis elemosynam, et aliquando ex tacita ejusdem voluntate, ut si pro imminente aliqua occasione missarum celebratio committatur.

(76. Si autem tempus haud sit determinatum, arbitrio boni viri, pensatis singulis circumstantiis, determinandum illud est; Dicastill., *De sacram.*, tr. 3, disput. 4, dub. 21, num. 403; Hurtad., part. I *Resolut. moral.*, tract. 2, cap. 4, resolut. 18, num. 202, et sic aliquando potest esse brevius, aliquando amplius duobus mensibus. (77. Quoties enim lex haud determinat tempus illud, quod nec partes determinarunt, ejus determinatio dependere debet ab arbitrio boni viri, perpensis singulis circumstantiis, minimeque licet sine auctoritate legis certum terminum statuere.

(78. Monendum vero est, quod semper, quoad fieri potest, tempus hoc sit restringendum, cum ita conveniat subjectæ materiæ.

## RESPONSIO AUCTORIS.

(79. Quoad dicta in his additionibus sub num. 76 et seq. poterat additor, et debuerat videre decretum sac. congr. Conc. a me jam allatum in verb. Missa, art. 2, n. 18, relat. a card. Lambertin. postea S. P. Bened. XIV, in tom. III *Notific.*, cit. c., p. 189 edit. Bononien., ubi sancivit modicum tempus debere intelligi infra mensem. Vide ibi expresse determinatum tempus a lege.

## ADDITIONES CASINENSES.

(80. Quoad ea, quæ Auctor tradit sub num. 10 hujus articuli, notandum, posterioribus sæculis, et Benedicto XIV docente (*Epist. ad episc. Oscen.* incip. *Declarasti*, tom. II *Bullar.*, pag. 7 et seq.) ab Innocentio III, cap. *Consulvisti*, ex *De celebratione missar.* revera sancitum, ne plures, quam unam singuli eodem die presbyteri missam peragerent, præterquam in festo Nativitatis Domini. (81. Aliter se res habebat in antiquiori disciplina. Tertullianus, *De corona*, cap. 3, missam bis in die, mane scilicet, æ

vespere celebratam ævo suo tradit. Synodus Emeritensis an. 666 decreverat, ut presbyter plures regens Ecclesias, in singulis Dominicis die sacrum faceret; Toletana XII, an. 681, suspensionis censuram in eos sanxit, qui plura uno die sacrificia immolantes, in ultimo tantum, non in singulis eucharisticum cibum potumque sumerent, ut in can. 5 tenoris sequentis: « Relatum nobis est, quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quot sacrificia in una die videntur offerre; sed in uno die, si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus a communione suspendunt, et in sola tantum extrema sacrificii oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt, quasi non sit toties illis vero, et singulari sacrificio participandum, quoties corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi immolatio facta constituerit. Nam ecce Apostolus dicit: *Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris?* Certum est, quod hi, qui sacrificantes, non edunt, rei sunt Domini sacramenti. Quicumque ergo sacerdotum deinceps divino altario sacrificium oblatum accesserit et se a communione suspendit, ab ipsa, quæ se indecenter privavit, gratia communionis anno uno repulsus se noverit.... »

Pari modo Leonem III qui sedit ab an. 795 ad 816, quandoque septem, ac novem missas in die celebrare consuevisse Walfrid. Strabo, *De rebus Eccl.*, cap. 21, ac post eum Baronius ad ann. 816, *Annal.* tom. IX testatur. Et cardinalis Petrus Damiani, qui anno 1073 obiit, tradens consuetudinem a majoribus acceptam abluendi, abstergendique calicis in postrema, « si nosmetipsi, addit, eodem die sacrificium denuo speramus offerre; » lib. VI, ep. 18.

Sic quoque Hugo Menardus, in lib. *Sacrament.* S. Greg. Magni, hæc ante secundam missam habet: « Quando Apostolicus duas missas celebrat eodem die, inter eas non lavat os, nisi post officium, sed absque intervallo, finita priore, incipitur alia: » nimirum ut jejunus celebret.

(82. Præterea Romanam Ecclesiam in multis festivitatibus olim indixisse uni eidemque vel episcopo, vel presbytero onus celebrandi duo, vel tria sacrificia solemniter, puta præter Nativitatem Domini, die primo Januarii, feria quinta Majoris Hebdomadæ, Ascensionis festo, tribus jejunii diebus ante Pentecosten (uti supra n. 62), et quoties plurium sanctorum Natalitia eodem die concurrerent, aut missa ob aliquam necessitatem votiva, aut ob imminuentem defuncti sepulturam incideret, ex antiquis ritualibus aliisque monumentis compertum est, per cl. cardinalem Bona congestis, *Rer. liturg.*, lib. I, cap. 18, n. 5.

(83. Illud vero addamus oportet, S. Bonificium archiep. Moguntinum, qui sæculo octavo vixit, unam tantum missam celebrare eodem die solitum fuisse. Unde idem Strabo scriptor sæculi noni, rationes afferens in utramque partem, nempe pro plur. missarum celebratione, vel unius tantum ab eo-

dem sacerdote eadem die, propensior esse videtur pro plurium celebratione; atque ita concludit *loc. cit.*: « Itaque unusquisque in sensu suo abundet, dum fides concordet, ut nec sæpius offerentes æstiment Deum aliter petitiones non posse discernere, nec semel host. per diem immolantes, suæ fidei subtilitatem potius, quam superiorum devotionem divinitus acceptari. »

(84. Nunc vero, cum regula sit unam tantum missam eadem die a sacerdote celebrari posse, excepto die Nativitatis etc. *Vid.* Lucium nostrum, n. 12 et seqq. h. art., merito « celebranti bis, vel ter in die extra casus a jure permissos gravis pœna infligi solet. Quanquam hæc pœna solet esse judicii arbitraria, pro qualitate facti et scandalo populi, » ait Bonacina, *De sacram. euchar.* disput. 4, q. 8, punct. 7, propos. 3, § 5, n. 9.

Porro in synodo diœc. Neap. eminent. card. Pignatelli, part. III, cap. 1, n. 10. pœna suspensionis ipso facto infligitur in hujusmodi sacerdotes pluries eadem die celebrantes.

(85. Audiamus insuper hac in re *Thesaur. de pœn. Eccles.* qui hæc habet., cap. 5, v. *Missa*. « Peccat graviter missas plures celebrans in eadem die, semel enim celebrare posse sacerdotem duntaxat in die habetur c. *Sufficit*, etc. » Deinde prosequitur:

« Quidam putant sacerdotem missam iterantem eadem die, hoc ipso esse irregularem, ut Majolus tenet lib. III, cap. 15, § *Propterea*. Sed nullo jure id probat, et irregularitas non est asserenda, ubi non est jure expressa. Tamen si esset de hoc crimine diffamatus, esset irregularis aliquo modo improprie, quatenus ratione scandali celebrare non posset licite ob infamiam facti. »

Præstat quoque audire Pignatellum, in hæc verba rite disserentem: « Nullibi in jure constituta est aliqua pœna contra celebrantes pluries in die, ideoque pœnam hujus delicti esse arbitrariam... Et ideo non est ad hanc vel illam speciem determinata, et proinde sufficit, quod in unaquaque specie sit proportionata delicto... Quoniam autem (prosequitur) hoc facinus a populo existimari solet graviss., idque ut plurimum avaritiæ causa a pauper. et imperitis sacerdotibus perpetratur, ideo non debent judices leve illud judicare, sed debent inferre pœnam accommodatam delicto, consideratis prius diligenter facti notorietate, populi scandalo, ac personæ delinquentis moribus, causa sive motivo, quo motus fuit ad delinquendum, præcipue, si pro pecuniis... si semel, aut pluries hoc delictum commiserit, si non jejunus, quod sæpius accidit quia malitiose hoc delictum committentes, sumunt abluitionem, ne se prodant, ac proinde gravius erit puniendus, quia committit duplex delictum, alterum contra præceptum non celebrandi, nisi semel in die, et alterum non celebrandi, nisi præmisso jejunio naturali, quod est gravius, quia strictius obligat, ut ex eo constat, quod DD. excepto, quando agitur de complendo sacrificio, quod per inchoantem impleri non potuit, in rarissimis casibus,



aut in nullo concedunt posse celebrari a non jejuno; aliisque circumstantiis, quæ augere, vel minuere possunt qualitatem delicti...

« Atque hinc (prosequitur Pignatellus), si quis semel ac iterum in eadem die celebrare, putans bona fide ex aliqua justa causa id sibi licere, et si revera non liceret, nisi tamen constaret, quod malitiose se gesserit, poterit dimitti cum aliqua pœnitentia salutari, quia cum processerit ex bona fide, non habet locum pœna.

« Quod (sic idem scriptor) si scandalose eadem die missam iterans, esset de hoc crimine diffamatus, esset irregularis aliquo modo improprie, quatenus ratione scandali celebrare non posset licite ob infamiam facti...

« Judex autem (nota pariter cum Pignatello) tam ratione delicti, quam delinquentis regulariter est episcopus, et etiamsi delinquens sit regularis, vigore decreti S. concil. Trident. *De observ. et evit. in celebr. miss.*, sess. xxii, cum in hoc delicto intercedat abusus, qui saltem ex dicto decreto, reducitur ad avaritiam, vel scandalum, atque adeo potest reus, etiamsi regularis sit, ab episcopo puniri. » — Tom IV *Consult. canonic.*, consult. 1, n. 3, 4, 6, 7, 9.

(86. Quibus præmissis cavendum sane est ab opinione P. Armeni in tract. quem edidit Venetiis 1700, *De pœnis*, tit. 8, § 2, n. 29, ubi concludit in hæc verba: « Cum igitur nec contra jus divinum, nec contra præceptum Ecclesiæ sit repetita celebratio, videre haud scio quomodo mortaliter peccet sacerdos, celebrans pluries in eadem die. » Et ulterius progrediens, n. 32, addit sequentia: « Adverto autem, quod potest etiam dari necessitas ex parte sacerdotis, si nempe pauper esset, ejus fundi patrimoniales perissent, et sibi sustentanda esset mater, aut nepotes pauperes, et eleemosyna unius missæ utpote tenuis, minime sufficeret ad manutentionem sacerdotis, et familiæ suæ, etc.; sequitur ex hoc, quod ex tali necessitate adactus sacerdos, si omni diligentia adhibita, ne sequatur scandalum, bis celebret in die, non peccat. » Apud Monacell., tom. II, tit. 13, n. 14, pag. 219.

« Quia vero opinio auctoris (prosequitur Monacell.) est contra communem sensum DD. et Eccl. nemoque, quem viderim, inter casus, in quibus jure antiquo permittebatur eadem die sacrum reiterandi, enumerat paupertatem sacerdotis, ut videre est apud *Gloss. cap. Consultuisti*, verb. *Necessitatis*, *De celebrat. miss.*, cum evidens sit, quod necessitas, de qua loquitur textus in d. cap. respicit populum et Ecclesiam, non autem necessitatem privatam celebrantis, ut admonendo episcopum Gerundensem declaravit S. cong. episcop. de anno 1588 ad 4, prout refert Fagnan., in cap. *In ordinando*, n. 37, *De Simonia*, cujus decreti tenor ibi relatus talis est: « Ad quartum super licentiis bis celebrandi, ac pecuniis quæ pro illarum expeditione, ut asseritur, solvuntur, miratur sacr. congr. agi de his licentiis con-

cedendis; nam id non nisi ex magna necessitate fieri debet, et magna cautela, ut puta in locis, ubi perpauca sunt sacerdotum, vel adsint impedimenta adversariorum fidei, vel quid simile; quæ cessant eo in loco, ubi vix evenire possunt alii casus a jure permitti, nec concedi potest hæc licentia ab episcopo generali, ter quasi privilegium alicujus sacerdotis, sed tantum in aliquo casu particulari necessitatis causa ab episcopo examinanda. » — « Quibus bene perpensis (concludit Monacell.) doctrina cit. auctoris censuram congr. Indicis non valuit effugere, nam ejus liber fuit damnatus. » *Loc. cit.*, n. 13.

(87. Lubet denique sequentia exscribere ex epistola Bened. XIV, l. II *Bull.*, 3 in ordine, incip. *Declarasti*, directa episc. Oscensi, quoad causas, ex quibus possit sacerdos plures missas in die celebrare, ibi: « Quamvis nonnulli ex theologis moralibus plures rationes et causas excogitaverint, ob quas sacerdos eadem die sacrificium missæ bis offerre posse videatur, id tamen unanimi consensu permittitur sacerdoti, qui duas parochias obtineat, vel duos populos adeo sejunctos, ut alter ipsorum parochi celebranti per dies festos adesse nullo modo possit, ob locorum maximam distantiam; tunc enim absque ulla dubitatione licere existimant ejusmodi rectori, cum festi dies incidunt, bis sacrum conficere, ut populo utrique satisfiat, ea tamen conditione, ut legitimam pro re gerenda facultatem prius obtinuerit. »

(88. Seclusa hujusmodi necessitate: « illud affirmabimus (prosequitur prælaud. Pontifex), ex communi totius Ecclesiæ disciplina permitti tantum sacerdotibus hoc tempore, ut die Natali Salvatoris nostri ter sacrum faciant, vel quia institutum id fuit a S. Telesphoro Pontifice, ut eam celebritatem singulari honore prosequerentur fideles, ut ostendit canon *Nocte sancta*, *De consecr.*, dist. 1, vel quia (si plurimi facienda videantur argumenta, quibus auctor Telesphorus illius canonis impugnatur) parens ac magistra Ecclesia eum ritum die Natali Domini conservandum censuit, ut posteris perpetuo commendaret veterem disciplinam, ob quam sacerdos idem plura sacra conficiebat, cum alii quoque festi dies per annum occurrerent. »

(89. Quantum ad causam utilitatis pro plur. missis in die ab eod. sacerdot. celebrandis, hæc id Pontifex habet: « Et utilitas quidem non suffragatur: quidquid enim sit de titulo utilitatis, qui illum admittunt, illum explicant et intelligunt, non de utilitate celebrantis, sed missam audientis... »

(90. Quoad vero necessitatem ex inopia, attentis alicujus parochiæ circumstantiis, cum una missa satis non est: « Minus prodest necessitas (sic addit præfatus Pontifex) ex inopia desumpta, cum plura sint expendenda, antequam titulus necessitatis ex inopia desumptus admittatur. Primo, an revera parochi tanta premantur egestate, ut alteri

sacerdoti stipendium missæ nequeant suppeditare. Si enim inopia adeo magna non sit, episcopali auctoritate... adigi poterunt, ut sacerdoti missam celebraturo eleemosynam largiantur... Secundo si parochis tenues omnino angustique proventus obveniant, videndum an populus etiam in eadem paupert. versetur; quemadmodum enim episc. adigere potest sacerdotem ut populo sacrum faciat diebus festis, ita etiam potest indicere populo ut celebranti sacerdoti consuet. stipend. largiatur.

« Porro difficile prorsus videtur (prosequitur Pontifex) omnia hæc simul copulata deprehendi. Quod si res ita se haberet, tunc Ven. Frater, ex iis eleemosynis, quas ipsæ egenis largiri large consuevisti, stipendium pro re divina facienda sacerdotibus erogare deberes, nec ullo modo perferre, ut sacrificium iterent parochi, quibus deest alius sacerdos, qui diebus festis populo ministrat. »

(91. Quantum ad consuetudinem, quæ forte invalescere potuerit, plures missas ab eodem sacerdote in die celebrari, audiamus præd. supremum magistrum hoc sane pacto: « Parochi postremo... vetustissimam adducunt consuetudinem. Nos... solum inquirimus, utrum ea consuetudo rationem præscriptionis, aut præsumptionis sibi comparaverit; et utrumque falsum et alienum judicamus. Non utique jus divinum, sed ecclesiasticum prohibet, eadem die ab eodem sacerdote sacrificium iterari. At non omnia, quæ juris tantum ecclesiastici sunt, præscribi possunt. Si etenim, juxta civiles leges, sanctæ res præscribi non possunt, absonum undique est asserere fuisse per præscriptionem aliquid obtentum, vel acquisitum, quod adversetur sanctionibus universalibus Ecclesiæ, quarum observantiam sacrum Trid. conc. in missarum celebratione sacerdotibus omnino præcipit, uti colligitur ex decr. *De observ. et evit. in celebr. missæ*. »

« Præscriptionem excipit præsumptio (ita præd. Pontifex), de qua modo sermo habendus est. Equidem non ignoramus jurisperitorum commune adagium, nempe ratione consuetudinis ab immemorabili afferri posse in medium quemcumque gratiosum titulum, et etiam privilegium Apostolicum, quod utpote nullo certo documento probatum, præsumptum appellatur. Sed cæteris prætermisiss... subdimus hæc intelligi posse de illis privilegiis, quæ impetrari potuissent a sede apostolica, si quis ea postulasset; non vero de illis, quæ, cum postulatur, negari omnino consueverunt; ne præsumptio plus habeat roboris et momenti, quam veritas. » Ita Bened. XIV, epist. cit.

## ARTICULUS VI.

*Missæ a quo possit celebrari, vel non? et in quo idiomate?*

## SUMMARIUM.

1. Missa a solo sacerdote rite ordinato celebrari potest. — 2. Missam celebrantes non ordinati gra-

viss. pœnis puniuntur, quippe degradantur, et curiæ sæc. traduntur etiam pro prima vice. — 3. Et licet essent minores 25 annorum, dummodo compleverint 20, tradendi sunt per inquisitores brachio sæculari, et ultimo supplicio afficiendi. — 4. Casus iste evenit Romæ anno 1711, in Dominico Spallacino Urbevetano. — 5. Missa non debet permitti, quod celebratur a sacerdotibus vagis et ignaris. — 6. Nec a sacerdotibus notorie, et publice criminosis. — 7. Nec a sacerdotibus exteris et incognitis, sine legitimis litteris dimissoriis sui episcopi. — 8. Sacerdotes exteri nec etiam possunt admitti a regularibus ad celebrandum in suis ecclesiis contra prohibitionem ordinarii. — 9. Missa non potest celebrari in lingua vulgari, sed solum in lingua Latina, vel Græca a Græcis, nunquam, et a nullo in lingua Sclavonica, nisi ex consuetudine, ad n. 11 alia ad rem ad n. 17. — 18. Subnectuntur *Addit. ex aliena manu*, ad n. 23. — 24. An ob debilitatem corporis possit missa celebrari sedens ex indulto: an cæcus omnino, possit item ex indulto celebrare. — 25. Quid de sacerdote paralytico? *ibi*.

(1. Missa a solo sacerdote ordinato rite celebrari potest. concil. Nicænum can. 4, et Trid., sess. xxii, cap. 1. Solus enim sacerdos est legitimus minister Ecclesiæ ad hoc mysterium conficiendum consecratus, juxta quod Christus solis apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus præcepit in ultima Cœna dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*. (2. Unde missam celebrantes non ordinati, gravissimis pœnis puniuntur. Gregorius enim XIII, constitut. 21, incipit. *Officii nostri*, statuit, quod judicentur et puniantur rigorosissime per inquisitores; et Clemens VIII, constitut. 81, incip. *Etsi alias*, decrevit quod degradentur et curiæ sæculari tradantur etiam pro prima vice; quod etiam confirmat Urbanus VIII, constitut. 79, incip. *Apostolatus*.

(3. Et licet essent minores 25 annorum, dummodo compleverint 20, tradendi sunt per inquisitores brachio sæculari et ultimo supplicio afficiendi, ex Clement. VIII et Urbano VIII in cit. constitut. (4. Casus iste evenit Romæ anno 1721 in Dominico Spallacino Urbevetano, qui sub mentio nomine Joan. Baptistæ Rosignoli, Andrea Rosignoli et Josephi Bonifacii, per annos quinque sæpissime missam celebravit, cum tamen nullos haberet sacros ordines, in Acie Campi Floræ furca suspensus et deinde igni crematus fuit die 12 Julii ejusd. anni 1711. Vide infra num. 12.

(5. Missa non debet permitti, quod celebratur a sacerdotibus vagis et ignaris. Concil. Tridentin. sess. xxii, in *Decret.*, tit. *De observand. in celebrat. missar.* (6. Nec a sacerdotibus notorie et publice criminosis. Idem concilium, *ibid.* (7. Nec a sacerdotibus exteris et incognitis, sine legitimis litteris dimissoriis sui episcopi. Concil. Mediolanen. I, part. II, tit. *De iis quæ pertinent ad celebrat. missæ*. (8. Sacerdotes exteri nec etiam possunt admitti a regularibus ad celebrandum in suis ecclesiis, contra prohibitionem ordinarii, ut censuit sac. cong. Concil. in *Bononiensi* 2 Julii 1620, et in *Neapolitana* 17 Augusti 1630, et sæpe alibi.